

**Problemata medica varia ... / proponit Melchior Sebiziis ... respondentे  
Urbano Ferdinando Gudeno.**

**Contributors**

Sebisch, Melchior, 1578-1674.  
Gudenus, Urban Ferdinand von, active 1662.

**Publication/Creation**

Argentorati : Typis Eberhardi Welperi, 1662.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gxjshezq>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# PROBLEMATA MEDICA VARIA:

Quæ SOLENNIS EXERCITII GRATIA

*In alma Argentoratensum Universi-  
tate proponit*

MELCHIOR SEBIZIUS,  
MEDICINAE DOCTOR AC PRO-  
fessor, Comes Palatinus Cæsareus, Reipubl.  
Archiater, & Capituli Thoinani  
Præpositus:

RESPONDENTE

URBANO FERDINANDO GUDENO,  
Heiligenstadiano Eichsfeldiaco.

*Ad Diem 24. Mens. Septemb.*



ARGENTORATI  
Typis EBERHARDI WELPERI,  
M. DC. LXII.

V I R O

Nobili, Amplissimo & Experientissimo  
DOMINO

JOANNI RAPPIO,

Medicinæ Doctori, excellentissimo.

Eminentissimi ac Reverendissimi Principis  
ac Domini,

DOMINI

JOANNIS PHILIPPI,

SACRAE SEDIS MOGUNTINAE  
ARCHIEPISCOPI, SACRI ROMANI IMPERII  
per Germaniam Archicancellarii, Principis Ele-  
ctoris, nec non Herbipolensis Episcopi,

Franciæ Orientalis

Ducis

ARCHIATRO Practico felicissimo

Dn, Mecœnati , Fautori & Patrono suo.

Debitæ observantia ergo disputationem  
hanc medicam humillimè dedicat

Cliens ejus ac Servus addictissimus

Urbanus Ferdinandus Gudenus.



## PROBLEMA I.

**U**æ causa, quòd homo frequenter admodùm catarrho corripiatur? Causa est cerebri situs, temperamentum, amplitudo, & infirmitas. Adhac ciborum varietas, & ingluvies. Situm enim est cerebrum in capite, loco altissimo, quo sit, ut inferiorum partium vapores, flatus & halitus, qui ob levitatem sursum feruntur, facile excipiat, & in aquas resolvat. Temperamento est frigido & humido, quod multum seri & phlegmatis generare solet, catarrhi materiam. Unde ab Hippocrate metropolis, & quasi primaria sedes frigidis & glutinosi libro de carnibus appellatur. Moles illius est amplissima, ita ut magnitudine cerebri homo omnia superet animalia. Itaque necesse est, ut multo quoque egeat alimento: ex quo postea ob temperamenti frigiditatem copiosum succrescit excrementum, quod expultrix facultas ad varias corporis partes, quæ capiti sunt subiecta, ablegare solet: præcipue autem, ut idem Hippocrates lib. de glandulis docet, ad oculos, aures, nares, spina medullam, palatum, asperam arteriam, gulam, indeque partim ad ventriculum, partim vero ad pulmones & pectus. Cerebrum, si cum visceribus calidis conferatur, multò illis est debilius, quò sit, ut aliena quæ sunt, & ab infernis ad se missa, facile admittat. Debilius esse, probant illius frigiditas, humiditas, mollities, & laxitas. Est ta-

mēn in alijs magis, in alijs minus tale. Unde & alijs fre-  
quentiūs, rariūs alijs catarrho corripiuntur. Hanc illius  
debilitatem auget idem situs, quoniam varijs est caloris,  
frigoris, & humiditatis aëris ambientis, pluviarum, ven-  
torum, nivium, & ieiūnum injurijs expositum: eoque ma-  
gis, quoniam etiam frigidis est circumdataum partibus, me-  
ningibus & calvaria, quæ ossa: & quia ipsum quoque il-  
lius continens, caput, nudatum est, vel saltem non ita  
benè, ut alia membra, tectum. Nihil autem magis ca-  
tarrho occasionem præbet, quam crapula & temulentia,  
voracitas item, & esus ciborum frigidorum, humidorum,  
& flatuosorum, vita sedentaria & otiosa, somnus à cibo  
statim captus, aut alias longior, quam esse deberet, sup-  
pressio consuecarum vacuationum, assidua literarum stu-  
dia, in concubiam usque noctem extensa, diuturnus mæ-  
ror & luctus, nec non & vigiliae assidue. Haec enim cause  
cerebrum valde debilitant, quod postmodum male conco-  
quit, multasque superfluitates coacervat, quas retinere  
nequit. Ideoque necesse est, ut gravatum tandem illas ex-  
cutiat.

## II.

Quo anni tempore, qua aëris κατάστασι, qua-  
xitate, quo corporis habitu & temperamento catarrhi  
sint frequentiores? Ex Hippocratis aphorismo 23.  
sect. 3. constat, catarrhos hyeme maximè grassari: id quod  
ex effectis probari potest. Ait enim, fieri eo anni tem-  
poore gravedines, sive coryzas, raucedines, tusses, pectoris, la-  
terum & lumborum dolores, apoplexias, qui affectus sobo-  
les sunt frigidorum humorum à frigiditate hyemis ortum  
ducentes. Κατάστασι aëris quod attinet, ex ejusdem  
Hippocratis aphor. 4. 16. & 17. sect. 3. manifestum est,  
catarrhos fieri maximè constitutione aëris austrina, plu-  
viosa, & aquilonari. Austrina enim & pluviosa gene-  
ratur.

ratur catarrhorum materia: aquilonari verò causa efficiens. Frigidus enim ventus est aquilonaris, ipsumq; caput & contentum in illo cerebrum, quod illi penè nudum est obvium, refrigerat, & ob id aquosos, serosos, phlegmaticosque humores producit. Sunt insuper affectus penè omnes, quos Hippocrat. allegatis in aphorismis recenset, rheumatici. Quo corporis habitu, quo tempore temperamento catarrhi graventur, ex modo dictis liquet: nimirum temperamento calido & humido, aut frigido & humido. In utroque enim materialis & efficiens catarrhi causa se offert.

## III.

Quæ aëtes præ cæteris catarrhos patiantur. Infantilis & senilis. Infantilis duas potissimum ob causas: cerebri humiditatem, & victus rationem. Cerebrum enim ipsis, sicut & reliquum corpus, est admodum humidum: quod ex vita primordijs, quibus sunt vicini, ex molitie & laxitate membrorum, ex tussi, asthmate, alvi profluvio, & aurium humiditate, colligere licet: qui affectus, ut ex aphor. 24. 25. & 26. sect. 3. patet, ipsis valde sunt frequentes. Deinde ob quotidianum lactis & laeticiniorum usum, qua halituosa sunt, cerebrumque humectant, & somnolentos reddunt infantes. Senilis autem aëtas catarrhoa est propria, quoniam ob frigiditatem & infirmitatem cerebrum habet aquosis & phlegmaticis excrementis onustum: ut non immerito Hippocrates aphor. 31. sect. 3. dixerit, senibus accidere dyspnœam, catarrhos cum tussi, articulorum dolores, scil. rheumaticos, alvi, oculorum, & narium humiditates; visum obtusorem, hebetiorem auditum, & glaucomata: per quæ Galenus in comm. non solum organi visivi siccitatem, sed etiam *ὑποχύματα*, suffusiones, quæ sunt crassi humoris in cornea membrana juxta pupillā concretiones, vel affusiones humo-

rum concrescentium inter corneam tunicam, & humorem  
crystallinum.

## IV.

Utra cerebri facultas sit fortior & robustior,  
Retentrix, an Expultrix? Notorium est, inesse cuili-  
bet parti nostri corporis ambas facultates, sicut & duas  
alias, attractricem & concoctrinem: hic autem in specie  
quaritur de retentrice, & expultrice cerebri, utra illarum  
robustior sit atque vegetior? Videtur expultrix. I. quia  
celerius, promptius, atque expeditius est sua in actione:  
retentrix autem tardior. II. quia illius actio magis in  
sensum incurrit, & cerebrius est. Ejicitq; cerebri super-  
fluitates ordinario quidem modo per nares & os: extra-  
ordinario vero per oculos, aures, aliquando etiam, & cum-  
primis in puerulis, ad cerebri emunctoria, quae sunt na-  
gatides, glandulae pone aures: quos tumores vulgus die  
Dhrflam appellare solet.

## V.

An in melancholia solum cerebrum, an una  
cum cerebro etiam Cor afficiatur? Manifestum est,  
& apud omnes in confessu, melancholiā affectum esse  
cerebri, sicut & maniam, & phrenitidem. Verum qua-  
ritur, an in melancholia, in qua semper corrupta &  
depravata est Phantasia, quoniam laborantes vel cogi-  
bant, vel loquuntur, vel efficiunt absurdā, longeque à ra-  
tione & consilio abhorrentia, eaque omnia cum metu ac  
mæstitia, etiam cor laboreti? Et videtur sane laborare,  
propter duo ista animi pathemata, quorum, ut & aliorum,  
cor statuitur sedes ac domicilium. Coafficitur autem eo  
magis, quo naturā fuerit frigidius. Ipse enim melancholicus  
humor, qui melancholiā causa est, etiam frigidus est. Qui-  
bus autem cor contigit frigidum, illi, ait Galenus in mu-  
scopī τέχνῃ, cap. 30. timidi sunt, non audaces, segnes etiam  
atque ignavi. Ad quæsumus ergo respondenius, cere-  
brum

brum in omni melancholia esse affectum, sed interdum  
ἰδιοπαθητικῶς, per essentiam, quando causa in ipso est ce-  
rebro, inibique genita: interdum verò συμπαθητικῶς, per  
consensum, cùm causa quidem in illo sita est, sed aliunde  
illi communicata. Communicatur autem vel ab hypochondriis,  
& frequenter admodum à liene: vel à toto, aut ma-  
jore saltem illius parte, vasis presertim, per totum corpus  
dispersis, in quibus causa melancholia latet. Ipsa verò animi  
πάθησα, timor & mestitia, in corde sita sunt, profecta  
ab humore melancholico, qui timidos mæstosq; reddit ho-  
mines.

## VI.

An motus epilepticorum convulsivi sint, ut  
Medici loquuntur, animales, quales sunt musculo-  
rum: an naturales, cuius generis sunt cordis & arte-  
riarum, qui in nostra potestate siti non sunt? Respon-  
detur, videri partim animales esse, partim naturales: non  
merè ac. purè vel naturales, vel animales. Naturales  
sunt, quoniam fiunt à facultate cerebri ejusq; meningum  
expultrice, quæ à maligno aliquo humore, vel aura irrita-  
ta, conatur expellere, quod cerebro inimicum est. Anima-  
les, quia ortum trahunt à musculis, animalis motus orga-  
nis. Cùm verò expultrix facultas tanti roboris non sit,  
ut convulsivos istos epilepticorum motus, qui validi sunt &  
vehementes, sola exercere valeat, ideo motricem faculta-  
tem, quæ animalis est, in consensum quasi trahit, & ad  
expulsionem lacebit. Motus igitur initium fit à faculta-  
te expultrice: sequitur postea motrix, quæ per musculos  
id præstat, quod expultrix sola præstare nequit.

## VII.

Num omnis melancholia ab humore, vel va-  
pore melancholico proficiscatur? sermo est de illa  
melancholia, quæ, si diutius duraverit, species est delirij  
sine febre, cum timore & tristitia, sine manifesta tamen  
causa.

causa excitata. Ea qui detinentur, multa animo & cogitatione fingunt, & obloquuntur aliena perturbatè atque confusè. Infinitæ enim melancholicorum sunt imaginationes: quia alijs alia sibi imaginantur, dicunt & faciunt. Omnes autem unam sue agnationis causam habent, humorem melancholicum, qui tamen pro sui diversitate etiam diversas exuscitat imaginationes. Probant hanc causam metus & mæstitia, quæ duo animi pathemata Hippocrates aphor. 23. sect. 6. melancholiae indicia esse perhibet. Sunt tamen nonnulli, qui humorem istum, aut illius vaporem, melancholiae causam esse inficiantur: idque sequentibus confirmant argumentis. I. quia non omnes melancholici signa habent humoris istius prædominantis. II. quia cuiuslibet temperamenti homines melancholia affici possunt. III. quia multi sunt timidi, multi mæsti, non tamen melancholici. IV. quia delirium non necessariò melancholicum prodit humorem. Multi delirant, ut febri laborantes acuta, phrenitici, alijs, qui melancholici tamen humoris sunt expertes. Respondetur ad primum negando. Contrarium enim jam fuit probatum ex tristitia & metu. Ad secundum. Licet non omnes melancholica complexionis sint à natura, potest tamen quilibet melancholicum acquirere temperamentum per melancholicam victus rationem, siquidem diutius illam continuaverit. Ad tertium. Melancholici qui sunt, præsertim naturâ tales, meticulosi sunt & tristes: at non contraria. Multi quippe timent, multi etiam tristes sunt, non tamen melancholici: quoniam timiditatis & tristitiae multæ etiam aliæ sunt cause, uti notissimum. Ad quartum eadem ratione respondetur. Melancholico laborantes affectu delirant: at non omnes delirantes melancholia sunt correpti.

An ex calore volæ manus rectè hepar calidum esse concludatur? Probabiliter sic concluditur: siquidem calor ille fuerit nativus, non à Sole, igne, aqua calida, cheirothecis, aut re alia, qua manus calefieri solent, cum frigent, profectus. Adhuc, si etiam volæ manus semper ferè caluerint. Experientia enim testatur, veram hanc esse assertionem. Negant autem quidam, & præcipue Primo erosius l. 2. de vulgi erroribus c. II. eam veram esse inficiatur. I. quia inter volam manus & hepar nullus sit consensus, neque ratione actionis, neque ratione generis societatis, neque ratione vicinitatis. II. quia calor volæ manus fugax sit, incertus & instabilis. III. quia calor ille manuum potius proveniat à corde, quam ab hepate: quoniam cor spiritus, & sanguinem calidiorem manibus impertit, quam hepar. Respondetur ad primum, concedendo: sed addendo, tametsi volæ manuum tribus dictis modis cum hepate consensum nullum habeant, habere tamen ratione communicationis vasorum, que sunt vena, & quidem satis amplæ ac numeroſæ, per totum brachium extensa. Ad secundum. Fugax etiam & instabilis est externalium omnium partium calor: & tamen Galenus in arte parva cap. 52. 56. & 57. scribit, caliditatem earum indicium esset totius corporis. Quidni ergo etiam nativus volarum manuum calor de calore hepatis testaretur, licet à causis frigidis quandoque abigatur? Ad tertium: Conceditur volas manum, sicut & partes reliqui corporis omnes, à corde calefieri. At ob id non sequitur, quod non etiam ab hepate calorem acquirere possint. Probabile igitur, non apodictiūm est, volarum manuum calorem signum esse caloris jocinoris.

## IX.

IX. An omnis febris sit affectus calidus? Talem esse, primum ostendit nomen febris latinum, quod deri-

vatum à fervendo. Deinde, gracum, quod est πυρησσή  
āπὸ τῆς πυρὸς, ab igne. Tertiò, omnium Medicorum dog-  
maticorum authoritas, qui febrim definiunt per calorem  
prater naturam, in corde accensum, indeque per arterias,  
mediantibus spiritibus & sanguine, in omne corpus diffu-  
sam. Quartò, symptomata, quæ pleraque omnia à calo-  
re præternaturali prodeunt: vigilie, deliria, capitis dolor,  
situs, oris siccitas, &c. quæ tamen in alijs sunt intensiora,  
& numerosiora; in alijs vero remissiora & pauciora. Quin-  
tò, curandi methodus, quæ, causa si spectetur, evacuan-  
tia postulat; si affectus ipse, refrigerantia: quare remediorum  
genera si in febribus negligantur febris extirpari nequit. At  
extant rationes quædam apud Primerosium l. 2. de vulg.  
error. c. 30. quæ contrarium suadere videntur. I. quia  
experientia docet, febrilem calorem in multis febribus ca-  
lore naturali esse debiliorem. Exemplo sint febres mali-  
gna & pestilentes; in quibus calor acris, mordax, & ve-  
hemens non est; sed mitis & blandus. II. quia pulsus sa-  
nis sunt similes, minimè alterati. III. quia symptomata  
gravia quidem sunt, ut inquietudines, deliria, leipothy-  
mia, palpitationes cordis, calor autem magnus minimè  
fatigat. IV. quia urina sèpè sanorum urinæ similis existit.  
V. quia in febribus hæticis calor minor esse solet, quam  
tempore sanitatis. Unde accedit, ut agri, se calere &  
febricitare non sentiant. VI. quia sunt febres lenta, in  
quibus agri vix ullam febrim percipiunt. Tales sunt, que  
fiunt ab obstruktione viscerum, quam crassi lentij, humores  
pepererunt: qui quando putrescunt, febres inducunt pla-  
idas & mites, nullo gravi symptomate infestas, sed diu-  
turnas. Hujus farinæ febres quoque sunt febres lethar-  
gicorum, phlegmaticorum, quæ quotidiana dicuntur, epi-  
alæ, in quibus frigus potius, quam calor sentitur: febres

item

item syncopales, à magna crudorum humorum copia ortas, calore potius suffocato, aut valde debilitato, quam supra naturalem mensuram accenso. Sunt denique febres lenta, ex viscerum putredine nata, ex quibus terti vaporess in eorū emittuntur, suntque continuae quidem, sed instar hereticarum mites. Verum hisce argumentis non obstantibus, vera manet sententia, quod omnis febris affectus sit calidus: non tamen pari in gradu omnes. Et licet quædam foris calidæ esse non videantur, omnes tamen intus calent, quedam magis quedam minus. Quod malignæ & pestilentes mitem blandumque calorem exerant, falsum est, & experientiæ atque sensui tactus repugnat. Idem dicendum de pulsu, urina, & symptomatibus, quæ non ita levia sunt, ut author istius paradoxi autumat, præsertim in febribus ab obstructione, & putredine partium atque humorum obortis.

## X.

An omne asthma affectus sit pulmonum? Medicis latini græcum vocabulum retinent. Interdum tamen etiam vocabulis anhelationis & suspirij utuntur: & asthmaticos anhelatores, ac suspiriosos appellant: orthopnoicos autem, qui non nisi erecta spirare possunt cervice: quoniam supinè jacentes suffocationis ineunt periculum. Qui agè difficileque respirant, δυσπνοικὲς nominant. Grammatici vocem asthmatis derivant à verbo ἀσθμα, sive spiro: vel ab ἀσθμα, significante τὸ ἀθρόως προσπνῶ τῷ σώματι θερπεῖν, ore ubertim efflare calorem. Sciendum autem, non omne asthma pulmonis esse affectum. Est enim istud vocabulum πολύσημον: & accipitur generaliter & specialiter. Generaliter usurpatur pro omni anhelitus difficultate, sive conjuncta sit cum febri, sive febri careat. Item, sive cum materia aliqua facta sit, sive materiei &

humoris sit expers. Denique, sive in causa sit aliqua inflammatio, sive crassus latusque humor, sive aqua, vapor, aut flatus. Ejusmodi namque asthmata observantur in pleuritide, peripneumonia, empyemate, hydrope, tympania, vomica, compressione diaphragmatis, ab inflatione intestinorum, ventriculi, lienis, uteri &c. profecta. Specialiter autem & propriè frequentem & difficilem respirationem sine febre inducentem asthma sonat: qualem habent, qui vehementer cucurrerunt. Crebro enim & cum sonitu quodam respirare solent. Atque hoc propriè & specialiter dictum asthma reverè est affectus pulmonum, qui fistulas pulmonum obsidet: sequiturque earum obstructio-  
nem, à crassis lentiisque humoribus factam: aut coarctationem & constrictiōnem à Vomica, crudore tuberculo, fistulis illis adnato invectam. Generaliter verò acceptum: non omni asthma pulmoniacum est vitium.

## XL.

Rectēne & rationabiliter Mesenterium Medico-  
rum nutricula nominetur? Sic dicitur propterea, quia  
cum & ipsum multis sit obnoxium morbis, & plurimorum  
morborum latentes in se causas habeat, Medicorum operam  
atque auxilium postulat: qui cura feliciter absoluta, mul-  
tum auri atque argenti inde lucrantur. Vasa namque  
illius, quæ angusta sunt & propemodum infinita, & per  
quæ alimenta in ventriculo concocta transire ad hepar  
solent, frequentissime obstruuntur: mesenterium ipsum  
inflammatur, scirrhosum evadit, alijsque tumoribus &  
abscessibus afficitur: suppurratur atque corruptitur: ve-  
hementer quandoque dolet: est quasi publica sentina &  
cloaca totius corporis, ad quam per venas atque arterias,  
variarum partium variae superfluitates confluent: idque  
etiam ob glandulas, quas mesenterium habet plurimas,

que illas ob laxam spongiosamque suam substantiam facile imbibunt. Ut autem multæ noxiæ materiae aliunde ad mesenterium accedunt, sic vicissim ex ipso mesenterio similes impuritates ad partes alias amendantur. Ut non immerit Fernelius lib. 6. παθολ. cap. 7. dixerit, se in mesenterio, vicinisque sibi partibus, cholera, melancholia, diarrhoea, dysenteria, cachexia, atrophie, languoris, lentarum errantiumque febrium, latentium denique morborum causas animadvertisse: adeo ut insibi persæpe focus & seminarium gravium diuturnorumque morborum constitui possit. Quiescunt quidem dictæ materiae in mesenterio aliquandiu, commota autem atque effusæ gravissimorum morborum cause existunt.

## XII.

An icterus semper oriatur ab aliquo hepatis vitiō? Icterus statuitur duplex: flavius & niger. Ille plerumque, at non semper, sit hepatis vicio: hic à liene proficiscitur. Ille causas habet varias: scil. jecoris inflammationem, aut saltem calidiorem ejus ιρρατίων. Nam Galenus in arte parva cap. 37. ait, calidam ejus intemperiem abundantiam producere bilis flava: eoque magis, quod non calidum modo est hepar, sed etiam siccum, teste eodem ibid. cap. 41. Habet & causam aliam, nempe obstructionem illorum meatuum, per quos flava bilis ad vesiculam fellent abit. Illus enim obstructis, biliosum excrementum una cum sanguine in reliquum corpus alegatur: cumque aleando non sit, quia merum est excrementum, partes illam non attrahunt. Mittitur ergo ad totius corporis emunctorium, ipsam nimirum cutem, quam flavo inficit colore. Qualis enim intus est humor, inquit Hippocrates, talis efflorescit color in cute. Sunt insuper etiam aliae flavi icteri causa, quæ planum faciunt, hepar non in quo-

vis ictero esse affectum. I. est vesiculae felleæ, aut porti illius choliodochi, qui in duodenum inseritur, & in illud alias bilem effundit, ut expultrix intestinorum facultas ad fecum excretionem stimuletur, obturatio, vel constrictione & coarctatio. Sic enim bilis ista in hepate restitat, & inde una cum sanguine in venam cavam, postea in totum corpus mittitur, cutemque flavedine sua tingit. II. Febres biliosæ, quæ aliquando κριτικῶς per icterum solvuntur. Etenim natura interdum biliosarum febrium materiam diebus criticis, utpote die 7. 9. II. aut 14. ad ambitum corporis protrudit, illumque croceo inficit colore: auctore Hippocrate aphor. 64. sect. 4. III. Eadem materia nonnunquam etiam συμπληματικῶς, ante πεπασμὸν, in principio statim, ante diem septimum, in cutem effunditur, teste eodem Hippocrate aphor. 62. sect. 4. Sed hanc excretionem malam esse scribit. Ratio est, quoniam accidit Natura vel ob copiam bilis flavæ gravata: vel ab acrimonia illius, aut malignitate irritata. IV. Icterus quoque provenire solet à morsu venenatorum animalium, aut assumptione rei venenatae, quæ sanguinem corrumpit, biliosumque reddit. Cujus rei Galenns lib. 5. loc. aff. c. 7. exemplum profert cuiusdam servi, qui cum à vipera esset morsus, universus ejus corporis color porraceæ bilis colorem retulit. Et Marcellus Donatus in histor. mirab. l. 1. c. 9. ex Avenzoare narrat, Haly filium ex potu rei venenatae ictericum esse factum, ita ut corporis color flavum corticis mali citry colorem repræsentaret.

## XIII.

Quæ sit causa, quod in icteri generatione rigor non excitetur? Videtur hoc fieri debere, quoniam materia illius biliosa est, & habitum corporis per sensilia loca trans-

transfertur. At non fieri, apparet in ictericis, qui de rigore, aut horrore non conqueruntur. Respondetur, causam dari posse geminam. I. quoniam bilis in ictero non affatim, celeriter, & violenter ad cutem movetur, sed sensim & pedetentim. Rigor autem fit, quando materia, quæ acrimonie & mordacitatis est particeps, per sensiles corporis partes, quales sunt nervosæ & membranosæ, affatim velociterque abit. II. quia bilis in ictero admistum sibi sanguinem habet, qui forsan acrimoniam ejus quodammodo obtundit, & ab hepate per venas ad cutem concedit.

## XIV.

An medicamenta purgantia umbilico & abdomini applicata alvum movere possint? Omnidò. Probant hoc unguentum Agrippæ, & unguentum de Artanita, sive de Cyclamine, quæ umbilico & abdomini illita alvum subducunt. Testantur & unguenta alia, quæ ex purgantibus simplicibus cum oleo ricinino, quòd alias de Kerva appellatur, & cera conficiuntur. Purgant autem maximè pueros, & alios, qui mollioris deliciorisque sunt naturæ, & qui facile vacuantur. Vis enim purgatrix per poros abdominis intrò subit, & Naturam ad excretionem solicitat. Penetrat quoque per vasa umbilicalia, præsertim si fuerint laxiora, & ab obstetricibus non arctè satis constricta. Nam si negligentius constringantur, fieri potest, ut etiam urina per umbilicum reddatur. Cujus rei pulchrum extat exemplum apud Fernelium lib 6. de wabol. cap. 13. ubi scribit, cuidam annum agenti trigesimum, obstruēta vesicae cervice, urinam affatim, tanquam emissione, ex umbilico in multos menses profluxisse. Se au- tem audivisse, quòd recens nato male vincitus umbilicus

nunquam coaluerit. Similia exempla Andr. Laurentius lib. 6. anat. quæst. 9. recenset de hydropicis quibusdam, an quibus aqua per umbilicum eruperit, partim facta illius compunctione, partim spontaneo Natura motu, umbilico rupto atque aperto.

## XV.

An in paroxysmis febrium cibum & potum exhibere liceat? Hippocrates aphor. II. & 19. sect. I. videtur cibationem & potationem prohibere, eò quod tunc temporis sit noxia. Galenus in comm. locum alium ex Hippocrate allegat, qui extat comm. 4. in lib. de vix. acut. §. 39. Ubi dicitur, in febrium accessionibus nunquam cum adsunt, neque cum futuræ sunt, cibum exhibendum esse, sed vel cum cessant, vel cum quieverunt, & maximè à principio recesserunt. Ratio videtur esse triplex. I. quia Natura in paroxysmis febrium intermittentium occupata est circa febris materiam, ut illam vel sensibiliter, vel insensibiliter expellat. Ideoque per cibi potusq; oblationem ab officio suo non est avocanda. II. quia per cibi exhibitionem calor febrilis augetur, qui tunc per se satis urget. III. quia hac cibatione materia febris augetur. Rectè enim concoqui nequit. Itaque cruda, aut semicocta manet, febrique pabulum & fomitem subministrat. Verum distinctione hīc opus esse videtur: quæ ex Galeni libro 10. meth. med. cad. 5. petenda. Illis, inquit, febricitantibus offerendus est cibus in paroxysmis, qui sunt πυρόχολοι, calido scil. & sicco temperamento, habitu que gracili prædicti: quibus vires sunt infirma, quibus ventriculus est biliosus, debilis, plus justo sensilis, qui denique febri correpti sunt ex acri mordacique humore, eoque ab insolatione, inedia, aut laboribus excalefacto arg attenuato. Nisi enim cibentur, in leipotbymiam, vel synopen

copen incident. Non dandus autem est illis, qui vel à copia humorum, vel ab obstructione, vel à phlegmone aliquius visceris, vel ab humore putrido febricitant, si nimis vires valeant, & inediam tolerare queant. Sin minus, parum quid offerendum, v.g. prissanae tremor: qui tamen non ratione febris offertur, quoniam hæc ob cibi oblationem augetur, sed virium causa, quæ alimento negato dejiciuntur. Coacta igitur hæc est cibatio, quoniam necessitas, quæ lege caret, eam postulat. Opportunum autem nutriendi tempus est in febribus intermittentibus in annuæ: in continuis autem ipsa remissio.

## XVI.

Quodnam horum sitim magis sedet, vinum, anaqua? Pro aqua hæc adferri posset ratio, quia sitis juxta Aristotelem lib. 2. de an. cap. 3. est appetitus frigidi & humidi. Aqua autem frigida & humida est. Videtur ergo magis sitim extinguere, quam vinum, quod calidum & siccum: quæ qualitates sitim augent. Verum contradicere sibi videtur Hippocrates. Nam lib. 6. epidem. sect. 4. scribit, calidus siccisque naturis convenire quietem & aquæ potum. Libro verò de salubri diæta vult, ut qui sitiunt, abstinere debeant à laboribus, & bibere vinum aquosum, ac frigidissimum. Respondetur autem, nullam in verbis Hippocratis esse contradictionem: quia sitis accidere solet, vel ratione ventriculi, qui aut natura calidus est & siccus, aut ratione assumptorum ciborum ac potuum talis; vel evenit ratione aliarum partium, quæ à ventriculo distant, quales sunt pulmones, cor, hepar, lien, renes &c. Quodsi ergo sitis fiat ob ventriculi caliditatem ac siccitatem, aqua sitim efficacius delet, quoniam integrus viribus sua humiditate & frigiditate sitim compescit. Si verò sitis orta sit à calore partium à ventriculo longè distan-

distantium, vinum aqua benè temperatum, ita ut aqua prædominetur, sitim magis tollit, quoniam facit, ut aqua, quæ crassior est, & ad motum ignavior tardiorque quam vinum, facilius citiusque penetrare queat. Vinum igitur uidatur admodum, aqua benè dilutum, sitim aufert citius, quia penetrat, & aquæ quasi vehiculum quoddam est. Aqua vero potenter sitim pellit, quia vino aquoso frigidior est atque humidior.

## XVII.

Quæ partes corroboratione egeant: & quibus modis reverè corroborari soleant? Nihil frequentius in praxi medica occurrit, quam corroboratio. Et propterea corroborantia tam interna, quam externa in officinæ jam parata prostant: quæ non Medici solum præscribunt, sed etiam ijs in consultis rudis & ignara plebecula à pharmacoëis petunt. Aequum igitur, ut sciatur, quid propriè sit partium corroboratio, quæ partes corroboranda, & quo modis corroboratio fieri soleat? Respondemus, illis partibus opus esse corroboratione, quæ debiles sunt atque infirmæ, & tantum virium non habent, ut actiones suas reddere obire valeant. Tales autem sunt, quarum vel humida, vel solida, vel spirituosa lœsa est substantia: & aut à causis internis, humoribus scil. flatibus, vaporibus, vel fuliginibus, aut ab externis, ijsque vel evidentibus, necessario tamen offendentibus, quas fugiendi non datur potestas: vel non necessario nos afflignantibus, quas vitare licet, offensa. Cum primis autem in conformatiōnis actu cordis, tanquam vitae fontis, & facultatis vitalis domiciliū habenda est ratio. Unde etiam corroborantia communiter cordialia nominantur: quia creditum, quod si cor sit corroboratum, reliquo etiam corpori melius sit. Quod quidem suo modo verum est. Sed peculiaris etiam aliarum partium

confortatio requiritur, ventriculi maximè & hepatis. Hæc enim membra illi sunt promi condi, qui totum corpus alunt atque sustentant. Unde si illus benè sit, & si probe suo munere atque officio fungantur, rationi consonum est, etiam reliquis membris benè esse. Quale enim est nutrimentum, tale quoque esse solet nutritum. Communis est opinio, corroborationem fieri per modum alterationis, ut scil. partibus, quantum fieri potest, sua conservetur vel restituatur temperies, & solida spirituosaque substantia: id que procuretur manifestis, aut occultis qualitatibus, intrinsecus, aut extrinsecus usurpatis. Verùm & alter modus est, qui fieri solet per vacuationem eorum, quæ partibus sunt noxia. Sed iste corroborationis modus improprius est: quoniam illo partes non per se, sed per accidens solum & consecutivè corroborantur. In specie autem corroborantia dicuntur, quæ istud præstant citra vacuationem: & desumuntur præcipue à cibis & potibus, nec non & à medicinis. Ex cibis sunt illi, qui boni sunt succi, multum alunt, facile concoquuntur, probumq; sanguinem gignunt: quando nimirūm in justa quantitate, convenienti qualitate, opportuno tempore, & legitimo ordine assumuntur. Ex genere potus vinum potissimum commendatur, quod colore gilvum, vel subflavum, clarum, & limpidum, consistentia tenue ac subtile, odore suaveolens, etate medium, denique viribus non admodum forte ac generosum. Ex medicamentorum censu præstant in officinis simplicia & composita: interna atque externa: quorum illa vel comeduntur, vel bibuntur: hec foris naribus, carpis, regioni cordis, &c. applicantur. Observanda autem regula est Hippocratis libro περὶ τροφῆς tradita: quod in corroboratione, instaurazione & avaralýψi, utendum sit suffici-

bus & rebus fragrantem odorem spirantibus , si celeris-  
ma opus sit refectio : liquidis autem alimentis , utpote  
brodiolis gallinarum & caporum , contusis item & destilla-  
tis , si tardior requiratur refocillatio virium : solido vero ,  
ut carnibus volatilium , agnorum , hædorum &c. si ad-  
huc tardior ex usu videatur esse instauratio .

## XVIII.

An remedia adstringendi virtute praedita in albo  
corroborantium haberi queant ? & qua ratione cor-  
roborare partes dicantur ? Ad primum quæsumus re-  
spondetur affirmando , præsertim cum negotium nobis est  
cum visceribus , ventriculo , hepate , liene &c. quorum ro-  
bur omni studio conservandum est , & si fuerit debilita-  
tum , restituendum , authore Galeno lib. 13. meth. med.  
cap. 15. Ibi enim ostendit , quam ob causam Attalo cura-  
tio inflammationis hepatis pessime cesserit . Theagenes  
namque , celebris Philosophus Cynicus , qui in Gymnasio  
Trojani Imperatoris quotidiè disputabat , hepatis phleg-  
mone in parte gibba erat correptus . Illum Attalus , So-  
rani , Methodicæ sectæ principis discipulus , curabat , sed  
hepar non secus ac glandulas inflammatas tractabat . Quo-  
tidie enim id calente oleo perfundebat ; mox cataplasma χα-  
λασικὸν , relaxans , ex pane & melle applicabat : tum sorbi-  
tionem ex alica , quæ , ut Galenus l.l. de alim. fac. c. 6. ait ,  
tritici genus est , valenterq; alit , & lento succum habet ,  
offerebat . Ideoque communi duntaxat indicationi , quæ  
est impacti sanguinis evacuatio , erat intentus . Verum  
cum nullam haberet partis affectæ rationem , & ignoraret ,  
hepati , utpote nutritoriæ facultatis principio , & venarum  
origini , convenire adstringentia , ut quæ tonum illius far-  
sum tectum conservent , accidit ; ut Theaginem è medio  
sustulerit . Ad secundum respondetur , adstringentia  
pro-

propterea corroborare, præsertim quando partibus etiam sunt appropriata, quoniam earum substantiam cogunt, leniterque constringunt, & efficiunt, ut calor & spiritus earum minus exhalent. Quod quando fit, tunc tonus & robur illarum conservari dicitur. In calore enim, nativo temperamento, & insito spiritu ηισχύς, robur partium præcipue consistere perhibetur.

## XIX.

An lepra Judæorum eadem prorsus sit cum nostrate? Non videtur. Iudeorum enim Levit. cap. 13. & 14. describitur, quod pili, cutis, cicatrix, corpus totum sit album, pustulae item lucentes, ulcuseula, furfurea, & squamosa corpuscula, caro cuti subjecta candida. Additur insuper, quod lepra hæc fuerit contagiosa: quod leprosi ab hominum consortio fuerint separati: quod vestimenta lannea, linea, & ex pellibus confecta, parietes item, lapides, adesque ipsæ luem hanc per contactum leprosorum contraxerint. Ideoque ne alijs, qui erant ab illa immunes, inficerentur, combustæ. Quod autem corpus totum hac in lepra album factum sit, confirmat exemplum illius leprosi, cuius mentio fit Regum 4. cap. 5. in fine, ubi dicitur, apparuisse illum nivis in modum albissimum. Ex quibus patet, Iudaorum lepram cum nostrate in quibusdam quidem convenire, in nonnullis autem plurimum differre. Conveniunt inter se, quod utraque contagiosa sit: quod leprosi segregentur à sanis, & extra urbem habitent: quod mihiatæ sua vestimentis quibuslibet imprimant, & concavia, in quibus degunt, inficiant: quod pustulae, ulcera, squamulae, & furfurea corpuscula cuti eorum innascantur. Differunt autem, quod lepra nostra, que alias elephantiasis, leontiasis, & satyriasis appellatur, pluribus & gravioribus stipata sit affectionum generibus, si ad sum-

mum gradum , de quo nobis nunc sermo est , pervenerit .  
 Candor enim ille cutis , pilorum , reliquij corporis in per-  
 paucus leprosis apud nos observatur . Color cutis plerun-  
 que lividus est , fuscus , aut in facie ex atro rubet : sub  
 cute capitis capillata tanguntur tubercula dura . Eadem  
 quoque etiam alibi , præsertim in artubus , & circa fron-  
 tem genasque animadvertuntur . Pili in capite , superci-  
 lijs , palpebris & mento defluunt . Facies est eruculenta &  
 terribilis . Cutis illius dura est , crassa , aspera , & ferè cal-  
 losa . Tales quoque sunt aures , nasus , labia , supercilia , &  
 mentum . Nasus tumet , in quibusdam etiam est exalce-  
 ratus , septumque ejus exesum , pinnae quoque crassæ , resi-  
 mæ , obstructæ , & ossa corrosa . Si lingua consueto depri-  
 matur instrumento , tubercula illa , quæ grandines vocan-  
 tur , in faucibus , palato , & circa columellam visuntur , quæ  
 raucoſ faciunt leproſos . Apparent in cute ulcera , tumores ,  
 scabies ferina , verrucae , rugæ , impetigines , fissura in pe-  
 dibus , maculae . Pedes frigent , & tument : sensus tactus  
 stupet : visus caligat : motus tardus est & difficilis : respi-  
 ratio gravis & laboriosa : expiratio fætet : illa talis ob na-  
 res occlusas , & grandines dictas : hæc ob putidi spiritus  
 exhalationem . Vox , uti dictum , rauca est , ob grandines  
 allegatas , aut affectum pulmonum & asperæ arteriæ . &c . Obo-  
 riuntur autem hi affectus in nostris leprosis à causa lepræ ,  
 quæ est bilis atra , eaque acris , mordax , corrosiva , mali-  
 gna ac venenata : genita vel ex sanguine adusto , vel bile  
 flava assata & torrefacta : quæ similem malignitatem , &  
 venenosam dyscrasiam visceribus alijsq ; corporis partibus  
 imprimet . Sic enim infectæ vel ex optimo purissimoque  
 alimento similem humorem , hoc est , malignitatis & vene-  
 nositas participem generant . Atque hi affectus argu-  
 mento sunt , quod nostra lepra ab Hebraorum plurimum  
 distet .

distet. Albedo enim illa à descripto jam humore atrabilario proficisci minimè potuit. Quodsi cum nostrate eadem esset, procul dubio etiam recensitorum affectuum, si non omnium, saltem præcipuorum mentio in sacris facta fuisset: quoniam lepra ibi graphicè depingitur; & non facile aliquis pro leproso tunc temporis fuit judicatus, nisi probè & accuratè, & quidem non semel, sed si signa lepra fuissent obscura, iteratis vicibus inspectus. Huc accedit, quod Præses hujus disputationis annis jam 40. explorationi & examini leprosorum interfuerit, & si 10. qui de lepra erant suspecti, inspexerit, nec tamen, qui leprosi reverè fuissent, per omnia eo modo infectos deprehenderit, quo leprosi Iudeorum in locis sacrarum literarum allegatis describuntur. Conjiciendum igitur, lepram eorum à Græcorum, Arabum, & Europæorum diversam fuisse.

## XX.

An cerebrum inflammari possit? Constat & in confessio est, vocabulum inflammationis unum esse ex illis, quæ πολλαχῶς λεγόμενα dicuntur. Significat enim primùm, ut ex lib. 2. Galeni ad Glauconem cap. 1. colligitur, generalissimè quamvis Φλόγωσιν, deflagrationem. Deinde, specialius quemvis tumorem à calido humore ortum. Tertiò, specialissimè, & propriè illum tumorem, qui ex sanguine natus, in quo ardor, rubor, tumor, tensio, dolor, & molesta pulsatio percipiuntur. Quaritur ergo, quānam harum inflammationum in cerebrum cadere possit? Non dubrum est, quin meninges cerebri omnium possint esse subjecta. Nam & incendi, ac præter naturam calefieri possunt ab internis & externis causis: scil. ab humoribus, vaporibus, & fuliginibus calidis, itemque à Sole, aëre, cibis, vaporibus & medicamentis calorificis, ira quoque & excedentia: & inflammari verè, velut in phrenicide appa-

ret. Quæstio autem est, an etiam cerebrum ipsum inflammationem propriè dictam contrahat? Affirmativa videtur probabilis: quoniam sanguinem habet, & venis atque arterijs præditum est: qui sanguis si vasis hisce vel apertis, vel ruptis, vel exesis, ex conceptaculis suis excidat, & in cerebri substantiam, quæ mollis est, laxa, & rara, immigrat, & imbibatur, nihil obstat videtur, quò minus verè inflammetur. Sed queritur, an etiam intumescere possit, cùm omnis inflammatio tumor sit præter naturam? Respondetur posse, si sanguis in copia sese in cerebri corpus insinuarit. Posse autem cerebrum intumesce-re, hydrocephalus ostendit, in quo cerebrum nunc magis, nunc minus est repletum, & inde tumefactum.

## XXI.

An in apoplexia etiam cor sit affectum? Per se & per essentiam non: sed per consensum. Ratio est, quoniam in apoplexia respiratio læditur. At quò difficilior est respiratio, eò fortior est apoplexia: teste Galeno comm. 2. aphor. 42. Impedita igitur, aut saltem diminuta respiratione, calor cordis minus ventilatur: unde cordis accidit offensio. Respiratio autem in apoplexia fit difficilis, quoniam fieri solet per musculos thoracis. Iste verò suum rectè & sufficienter facere officium nequeunt, quoniam movendi facultate, quæ ipsis à nervis & cerebro contingit, destituuntur, nunc magis, nunc minus. Hanc tamen prærogativam musculi thoracis præ ceteris corporis musculis habent, quod illis quiescentibus, ipsi soli ferè in apoplexia, sicut & in somno, moveantur: sc. singulari Naturæ providentiæ: quoniam respiratione desinente, actum est de vita. Quare, quicquid adhuc supereft spirituum animalium, illud communicatur nervis & musculis thoracis. Hinc fit, ut thoracis musculi moveantur, reliqui autem quiescant; donec tandem

zandem & ipsi moveri desinat, quæ cessatio apoplecticos postea è medio tollit,

## XXII.

Quæ causa, quòd cerebro vulnerato febris & biliosus superveniat vomitus? Tradit hæc supervenientia symptomata Hippocrates aphor. 50. sect. 6. Sed multa hic consideranda sunt, antequam aphorismi ratio reddatur. I. vulnus cerebri, quod debet esse profundum. Hippocrates enim illud vocat διακοπὴν. At per διακοπὰς idem semper intelligit profunda & magna vulnera, teste Galeno comm. 6. aphor. 18. Latini interpretes ea distinctiones appellant. II. quòd in ejusmodi profundo cerebri vulnero etiam inaudiatur cutis, pericranij, cranij, & utriusque meninges dissectio. Nam citra harum partium vulnerus cerebrum dissecari nequit. III. quòd in πιηροχόλοις quidem biliosus iste humor vomitu ejiciatur, in alijs vero alia, etiam cibi & potus assumpti. IV. quòd humores, qui cerebro sauciato evomuntur, vel sint in ventriculo geniti, vel aliunde ad illum delati, sive sint biliosi, sive phlegmatici, sive serosi. Ut plurimum autem biliosi sunt, præsertim seroso excremento permisti. Tales enim tenues sunt, & valde mobiles. Quæritur jam, cur cerebro dicto modo vulnerato febris superveniat? Respondet Galenus in comment. causam esse, quoniam & cerebro, & cuilibet alijs membro principali inflammationem patienti febris supervenire soleat: non quidē, subiungunt alijs, in principio statim vulneris, sed demum post aliquot dies, quando sanguis in cerebro extravasatus ob prohibitum exitum, aut coercitam διαπνοὴν est putrefactus. Quæritur denuò, quæ causa sit supervenientis vomitus? Respondet idem Galenus ibidem, causam esse magnam illam συμπάθειαν, sive consensum cerebri cum ventriculo, & præsertim cum illius

orificio, quod veteres *xapdiav* nominare solebant. Ad hoc enim ex sexta nervorum conjugatione nervi numerosi effatuque digni transmittuntur, quorum ratione sensus est accuratissimi. Solent tamen, subiungit Galenus, etiam biliosi vomitus contingere in magnis doloribus, mæroribusque vehementibus, materia biliosa aliunde ad ventriculum transmissa: eōq; magis, quando ventriculus est male affectus, ita ut alienas superfluitates facile admittat. Et quando illae sunt substantiae tenuioris, cuius est humor biliosus, & serum, quod in vomitibus bili sèpè est admisum. Rarò siquidem sincera & mera bilis evomitur, cui serosa humiditas non sit adjuncta. Apparet hoc quoque in sanis, maxime in *τωνροχόλοις*, quod talis materia ad ventriculum fluat.

Quæritur denique, an etiam vulneratis meningibus bilis per vomitum ejiciatur? Respondet iterum Galenus affirmando. Sunt enim cerebro circumdatæ in multis illius partibus, & ita ei adharent, tenuis cum primis meningis, ut citissimè suas passiones cerebro communicare queant.

## XXIII.

Uter potus plus alat, vinum, an cerevisia? Galenus lib. 3. de alim. fac. cap. 40 scribit, vinum ex illorum esse numero, quæ corpus nostrum alunt. Quosdam tamen Medicos negasse, vinum appellandum esse alimentum: hac inducto ratione, quod potus sit. Potus autem alimento sit oppositus. Verum, quod vinum revera alimentum sit, aliud tamen alio magis, aut minus alat, idem Galenus ibidem varijs vini differentijs declarat. Probat etiam id lib. 2. de alim. fac. cap. 9. quia custodes vinearum, sua in patria, duos menses solis uvis & sicubus cum modico pane pasti, corporulentissimi sunt. Item, quia venatores carni-

carnibus vulpium autumni tempore usi pingues & obesi evadunt: quoniam illo tempore vulpiū carnes ob esum uvarum pinguiores sapidioresque existunt. Inde ergo concludit, si uvae homines & bruta alunt, quidni & vinum, quod ex illarum succo expressum est, alendi facultatem haberet? Rationes in oppositum allatas nunc omittimus, quia alibi à nobis, in opere scil. de alim. fac. refutatae sunt.

Statuimus ergo, vinum nutrire. An vero plus nutrit, quam cerevisia, queritur? Quaestio autem instituenda est in ima specie, & vinum bonum, idque præsertim rubrum & crassiusculum, quod, sicut Galen. lib. 3. de alim. fac. cap. 40. loquitur, generando sanguini est accommodatissimum, ut quod minima egeat mutatione, ut sanguis fiat, cum cerevisia probè cocta, sive triticea sit, sive hordeacea, dummodo ex bono frumento facta sit, comparandum? Respondetur, vinum nutrire citius, propter subtilitatem substantiae: cerevisiam alere pleniùs, ob causam contrariam, præsertim autem triticeam. Autóψia enim probat, homines cerevisia quotidie & ordinario modo potos, crassiores, corpulentiores, robustioresque esse ὀνομότοις. Quemadmodum vero alta cerevisia alia est nutrientior, ita & vinum aliud alio majorem vim alendi obtinet: quemadmodum Galenus loco citato multis vinorum generibus id declarat.

## XXIV.

An solum, sive terram mutare in morbis longis sit utile? Utile esse Hippocrates lib. 6. epidem. sect. 5. docet. Galenus comm. 5. in lib. 6. epidem. §. 20. consentit, sive quis navigans, sive curru, aut equo vectus, sive pedestris in alienam terram migraverit: & maximè, cum in aërem contrariae temperaturæ discesserit. Contrarium autem vocat, qui non solum regioni ægrotantis, sed

etiam ipsi morbo repugnat. Nam si morbus sit humidus, abeundum erit in aërem sicciorē: si siccus, in humidiorē. Eodem modo si calidus sit morbus, in frigidiorem: si frigidus, in calidorem. Estque eadem ratio etiam in qualitatū conjugationibus. Adhuc verò magis commoda erit hæc aëris mutatio, si pro modo, quo morbus à naturali statu recessit, ad contrarium aërem fiat mutatio. Nam qui morbus paulò est frigidior, aërem quoque paulò mediocri temperie calidorem postulat: sicq; de ceteris morborum & aëris qualitatibus judicandum. Contraria enim contrariorum sunt remedia: & inter morbum ac remedium, h. e. inter indicans & indicatum, debet esse quædam proportio, ne vel remedium inducat novam intemperiem, si sit justo intensius: vel morbum non tollat, se aquo remissius. Hanc regionem & aëris mutationem Galenus quoque observavit lib. 5. meth. med. cap. 12. ubi scribit, se phthisicos, Romæ degentes, misisse ad Tabias, locum editum, & in colle situm, siccoque aère gaudentem. Plinius etiam lib. 31. cap. 6. memorat, quosdam olim, qui Phœaci laborabant, in Aegyptum navigasse.

## XXV.

An paracentesis in ea hydropis specie, quæ ascites appellatur, aliquid habeat utilitatis & emolumenti? Distinctè videtur respondendum esse. Nam si venter ob aquæ copiam ad insignem pervenit tumorem, adeò ut diaphragma comprimatur, & inde respirationis emergat difficultas: si præterea remedia uideaywya parum profecerunt: si vires adhuc constant: si ætas juvenilis adest: si æger adhuc sit εωσπλαγχν, talibus præditus visceribus, ut spes esse possit, fore, ut malum cedat, paracentesis ista, sive abdominis apertio, tentari cum fructu potest: ne viscera diutius aquis innatantia prorsus corrumpantur:

dum-

dummodo aqua per vulnus inflictum iteratis emittatur  
vicibus: & quidem moderata in quantitate. Nam quicun-  
que empyi, aut hydroperci uruntur, vel secantur, inquis  
Hippocrates aphor. 27. sect. 6. si pus, vel aqua ἀθρώσ,  
universim effluxerit, omnino moriuntur. Paulatim autem  
quod sit, tutum est: ait idem aphor. 51. sect. 2. Quod  
autem paracentesis utiliter in ascite jam dicto modo de-  
scripto administrari possit, experientia docuit: quoniam  
nonnulli, quibus vel arte, vel sponte, vel ictu casuve aper-  
tus fuit umbilicus, aut à latere ejus abdomen sectum,  
evaferunt, aqua effusa. At si ascites diu duravit, si aeger  
in senili sit etate constitutus, si ναυκόσπλαγχνος sit, si  
vires dejectae, tunc ob illius votum & desiderium aperiri  
quidem potest abdomen; sed illum solummodo in finem, ut  
minus ob distensionem torqueri, liberiisque respirare va-  
leat: non obstante, quod sciatur, aegrum neutquam eva-  
furum.

## XXVI.

Quæ causa, quod multi, qui cæcis laborant hæ-  
morrhoidibus, atrocissimos patiantur cruciatus? Cæcæ  
hæmorrhoides dicuntur, quæ nihil sanguinis eructant: tu-  
ment autem, suntq; illarum nunc plures, nune pauciores:  
quædam etiam nullum movent dolorem: nonnullæ vero  
dolorificæ sunt valde. Non immerito ergo queritur, quæ  
tanti doloris causa sit, cum venæ per se non sentiant? Re-  
spondetur, causam esse, quando sanguis copiosus, isq; cras-  
sus, ad extremitatem venarum hæmorrhoidalium perve-  
nit, & exitum habere nequit. Tunc enim venæ ipsæ, &  
partes membranose, ac nervosæ, quibus venæ sunt intex-  
tae, vehementer ob copiam & crassitatem sanguinis disten-  
duntur; & quia partes ille sensus sunt exquisiti, ideo ob  
hanc continui solutionem summoperè dolent: eoque magis,

quando ob dolorem istum etiam inflammatio accessit. Ut plurimum enim dolores acerbos inflammatio sequi solet.

## XXVII.

Quomodo vinum dicatur Psalmus 104. cor hominis laetificare? Conservando & augendo calorem: sanguinem bonum generando: spiritus puros & laudabiles procreando: alimenta in bonum succum convertendo: & concocta in corpus distribuendo. Quae rationes etiam probant, verum esse id, quod vulgo dici solet, vinum lac esse serum. Nam senes caloris auctioне, sanguinus bonitate, spirituum probitate, & alimenti laudabili concoctione ac distributione cum primis opus habent.

## XXVIII.

Qui potus citius inebriet: & quæ ebrietas duret diutiùs? Vinum potens & meracum ob vinosorum halituum subtilitatem & levitatem, cerebrum ejusque spiritus & nervos citius invadit: cerevisia ob suorum spirituum crassitiem id facit tardius. Verum ebrietas ex vino contracta evanescit citius, ob suorum halituum tenuitatem: cerevisia ob causam contrariam tardius. Acutior quoque dolor est à vino obortus: estque punctorius & lacinans: gravatus magis est, qui à cerevisia inductus, propter causam modò dictam, ipsam videlicet crassitiem, illius præsertim cerevisie, quæ ex tritico parata.

## XXIX.

An rectè dicat Hippocrates libro de aëre, aquis & locis, populos septentrionales edaces esse (*εδοδός οὐ πολυθόρας*) non autem bibaces, *πολυπότας*? Videtur rectè judicare. Nam cùm plurimum habeant caloris, plurimo etiam opus ijs est alimento. Calorem autem uberiorius alimentum requirere, probari potest ex aphoris. 14. & 15. s.l. Hipp. In illo enim dicitur, eos, qui adhuc crescunt, quales

quales sunt pueri, plurimum habere calidi nativi. Proinde, cum copioso egeant alimento, abunde ipsis suppeditare oportet, quoniam corpus eorum alioqui consumitur. In senibus vero parum inest calor. Paucis propterea egent succendiculus: quia exiguus ignis fomitus extinguitur multitudine. In hoc vero idem exemplo veris & hyemis confirmatur. Illis enim anni temporibus ventres natura sunt calidissimi. Itaque etiam plus cibi per illa dare oportet: quod Hippocrates ex abundantia etiam exemplo athletarum confirmat, qui & ipsi pleniū alendi sunt, ob calorem internum crebris exercitijs auctiorem redditum. Quod autem nostro seculo populi septentrionales non solum multum comedant, sed etiam strenue bibant, & ut Propheta Esaias cap. 5. loquitur de Iudeis, potentes sint ad bibendum vinum, ac viri fortes ad miscendam ebrietatem, necessitatis non est, sed pravae voluntatis, & pessimae consuetudinis: quibus DEVS OPT. MAX. per eundem Prophetam gravissimas comminatur paenas: & per D. Apostolum Paulum i. ad Cor. c. 6. ebrios, lurcones, heluones & gurgites ex regno cælorum excludit.

## XXX.

Utra homini nocentior, fames an ingluvies, sive voracitas? Utraque pessima est, juxta aphor. 4. sect. 2. Hippocratis, non satietas, non fames, neque aliud quicquam, quod Naturæ modum excedit, bonum. Item, studium sanitatis est, non repleri & satiari cibo: lib. 6. epidem. s. 4. Item, ubi præter naturam copiosior cibus est ingestus, morbum creat: aphor. 17. sect. 2. Item, labores, cibi, potus, somnus, res venerea, omnia mediocria sunt. lib. 6. epid. sect. 6. Item, omne nimium Naturæ inimicum, aph. si. s. 2. Ratio est, quia, inquit Galenus in comm. Natura consistit in mediocritate. Itaque non immerito nimium quod est

est Naturae inimicum est, quoniam τὴν συμμετρίαν destruit, ipsiusque animalis σύστατον, consistentiam, dissolvit. Verum queritur, utra sit noxia magis, fames an voracitas & heluatio? Videtur hæc posterior. I. quia plura infert corporis vicia. Obruit enim calorem, obstructiones parit, cruditates gignit, vasa oppilat, febres accedit putridas, scabiem, ulcera & cachexiam inducit, &c. II. quoniam illius incommoda ægrius tardiusque curantur, quam famis. III. quia voracitas & ingluvies nunquam neque sanitatis, neque morbi tempore prodest. Nulla contraria res magis laborantem adjuvat, quam tempestiva à cibo abstinentia, inquit Cornelius Celsus lib. 2. cap. 2. Et lib. 3. cap. 2. scribit, omnium optima esse quietem & abstinentiam: hancque solam sine ullo periculo mederi. Propterea Hippocrates aphor. 20. sect. 1. hortatur Medicum, ne dum negotiis fit, & quidem æctiws, sufficienter, ægro aliquid vel cibi, vel potus, vel medicamenti exhibeat, sed quiescat, ne Naturam suo in officio impedit. Aphor. 11. & 19. s. 1. precipit, ut in febrium paroxysmis à cibatione abstineatur. Aphor. 8. sect. 1. vult, ut in morbi vigore cibo interdicatur pleniore, sed tenuissimus prescribatur victus, h.e. vel nullus, vel parcissimus. Idemque mandat in morbis percutitis aphor. 7. sect. 1. Denique aphor. 59. s. 7. monet, corporibus humida carne præditis, perferendam esse famem, eo quod fames corpora siccet: & quod contraria contrariorum sint remedia. Humida autem corpora fames siccatur, sed per accidens solum, inquit Galenus in comment. Nam si quid à corpore destuat, nec ab alimento suppleatur id, quod est evacuatum, necesse est, ut corpus siccius evadat. In cuiusque enim animalis corpore prius illæ partes absuntur, quæ humidiores sunt. Destruxit quippe hanc ob causam fit, quoniam corpus extenuatur, & invapores

pores resolvitur: idque duabus de causis, extrinsecus quidem ab aëre ambiente: intrinsecus autem à calore nativo, teste eodem. Verum objici posset, animalia quedam per hyemem in latibulis delitescere, nihilque cibi assumere, & tamen eo tempore evadere pinguiora: id quod de muribus montanis, qui mures alpini, quod in Alpibus nascantur, & marmotæ dicuntur, est notissimum. Nec ignozum etiam de gliribus, de quibus Martialis scriptum reliquit, quod ipsi tota hyems dormiatur, quodque eo tempore pinguiores sint, & tamen non nisi somno alantur. Sed Galenus loco citato respondet, causam esse, quod neque foris calefiant, neque intus: ac ob id nihil prorsus, vel parum admodum dissolvantur. Unde fit, ut quadam illorum, ne quidem ullo egeant alimento, nonnulla verò prorsus paucō, vel etiam minimo.

## XX XI.

An principalia membra confortata reliqua etiam membra confortent? Janus Damascenus aphorisi. 127. affirmantem defendit: & sanè non absque ratione. Principalia enim membra, utpote cerebrum, cor, & hepar, totum corpus regunt atque gubernant. Cerebrum per spiritus animales facit, ut partes sentiant & moveantur. Curat quoque, ut principes functiones obiri queant. Cor per spiritus, sanguinem, & calorem vitalem partes quasi vivificat, à putredine illas præservat, & ut suas exercere actiones queant, efficit. Hepar per sanguinem à se genitum corpus alit: cordi illum ex parte communicat, us ex eo vitalis procreetur sanguis. Mittit quoque ad partes generationi dicatas sanguinem, ut ex illo semen nascatur, & species procuretur propagatio. Principalibus partibus non immerito adjungi potest Ventriculus, cuius concoctio si feliciter non succedat, neque reliqua concoctiones felicem

habere successum possunt. Hinc illud Hippocrateum lib. 6.  
epidem. sect. 3. η κοιλίης νάρκωσις, η τῶν ἄλλων σύγχυσις,  
η τῶν ἀγγείων ἀναθαρσίη, h. e. ventris segnities omnium  
facit confusionem, & vasorum impuritatem. Est enim  
Quinti Sereni de sententia instar regis, qui omnes corpo-  
ris partes foveat, alit, atque sustentat: non immediate qui-  
dem, attamen mediante sanguine, qui ex illius chylo gig-  
nitur. Quare si membra ista principalia recte se habeant,  
sintque confortata, rationi consentaneum est, illa quoque  
reliquas partes confortare. Confortantur autem partim  
per cibaria, quae sint odoris boni, & temperata: authore  
eodem Damasceno aphor. 139. partim per remedia leni-  
ter adstrictoria, fragrantem spirantia odorem, & tempe-  
raturae vicina, authore eodem aphor. 22.

## XXXII.

An aliquod alimentū cibi & potus possit habere ratio-  
nen? Omnidè: verùm hoc modo, quòd aliud magis sit cibus,  
quàm potus: aliud magis potus, quàm cibus: aliud cibus tan-  
zum, nō autem potus: ita ut famem quidem sedet, sitim au-  
tem ne ritquam compescat: imò illam potius exciter & au-  
geat. Dicta hæc exemplis illustranda sunt. Juscula, sive bro-  
dia carniū gallinarū, caporum, aut boum, & cibi sunt, quia  
alunt, quod in multis appareat agrotantibus, qui prater bro-  
dia nihil assumere possunt: & potus sunt, quoniam sua actu-  
ali humiditate sitim delent. Idem faciunt contusa, destilla-  
ta, & fructus astivis, atq; autumnales, qui succulent & hu-  
midi: ut fraga, cerasa, pyra, poma, pepones, uva &c. Idem  
quoque præstant vinum & cerevisia, ut experientia testa-  
tur. Quæ solida sunt, sicca & dura, sitim non tollunt,  
alere tamen possunt: ut panis & carnes animalium dome-  
sticorum & ferorum. Sitim autem excitant & augent, quæ  
sale sunt condita, vel aromatibus valde imbuta: velut &  
carnes,

carnes, & pisces marini, qui exiccati, ut fustibus postea percutiendi sunt, elixandique, quo esui apti fiant. Nutri-entissimæ sunt carnes: minùs pisces: minimè omnium fructus fugaces. Medium tenent pulticulae ex hordeo, oryza, amylo, pane silagineo, vel similagineo, qui etiam simulacrus vocatur, græcè σεμιδαλίτης: prior autem σιλιγνήτης, confectæ.

## XXXIII.

Utrius tolerantia facilior, famæ an sitis? Distin-  
ctione hic est opus complexionum, aetatis, regionis, anni tem-  
porum. Phlegmatica complexio, quæ frigida & humi-  
da, famem & sitim ferre potest tolerantiūs, quam choleri-  
ca, quæ calida & secca. Aetas juvenilis plus & cibi, &  
potus postulat, quia calida & secca. Regio æstuosa siticu-  
losos reddit incolas, minùs voraces, quam frigida. Aesti-  
vo tempore etiam minùs comedunt homines, plus autem  
bibunt, quam hyberno. Ex quibus apparet, sitim tolerari  
ægrius, ubi calor & siccitas dominantur: facilius, ubi fri-  
gus & humiditas præponderant. Famem ferre possunt  
γέροντες, senes, & phlegmatici: minùs, ut Hippocr. aph. 13.  
sect. I. loquitur, οἱ καθεστηκότες, qui constantem agunt aet-  
atem: adhuc minùs μετάνια, adolescentes: minimè omni-  
um ταῦδεσ, pueri: atque inter eos maximè, qui sunt προ-  
βυμότεροι, acriore & vividiore ingenio præditi.

Doctissimo  
Domino Respondenti  
χαίρειν.

VITA hominis brevis est: Ars: contrà longa medendi:  
Est etiam volucris, præcepsque occasio valde:

Iudi-

*Iudicium quoque difficile: Experientia eorum,  
 Quæ non sunt nobis sat cognita, plena pericli.  
 Sic etenim Hippocrates, Medicorum magnus Apollo,  
 Nos monuit: monitoque suo monstrare volebat,  
 Quam sit difficilis Medicina, ususque medendi.  
 Idcirco quisquis studet illam noscere, multa  
 Perpessum esse decet, sudasse, & frigora sæpe  
 Sustinuisse: Deus quoniam sua munera nulli  
 Largiri facile dure solet absque labore.  
 Namque laborandum est, & supplice corde petendum,  
 Ut nostris placidam adspiret conatibus auram.  
 Quapropter cum tu Medicinæ acquirere finem  
 Exoptes, G U D E N E, tibi benè consulis, omnem  
 Quod lapidem moveas, & quod fundamina ponas,  
 Ad solidam quæ te Medicinæ cognitionem  
 Cum laude egregia certò deducere possunt.  
 Qnodsi, ut cœpisti, cupidè perrexeris, artis  
 Participem finis te ex voto credo futurum:  
 Et curaturum languentia corpora recta  
 Cum ratione, velut Medicum decet arte fideque  
 Ornatum, quæ sunt insignia dona medentum.*

Melchior Sebizijs, D.

*F I N I S.*

